A. A. 8. Augusti 1634.

VOTA, SIVE MOTIVA a Processu intitulato, Processus Magni Magistri Sancti Ioannis Hierosolymitani, Contra Locum de Sancta Lecina, super Ciuili.

30

31

IN DEI NOMINE AMEN. Nouerint vniuersi, quod anno cōputato à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, die vero connumerata octaua mēsis Augusti, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij causarum Ciuilium præsentis Regni Aragonum, interuenerunt Magnifici Domini Doctores Antonius Augustinus de Mendoça Regens Cancellariam præfati Regni, Franciscus Mirauete, Iosephus Segura, Petrus Taraçona, & Ioannes Franciscus Iubero Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus processus intitulatus, Processus Magni Magistri Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani, contra locum de Sancta Lecina super ciuili, in quo tres ex dictis Dominis Regijs Consiliarijs fuerunt voti & opinionis, quod att. cont. tenetur, & debet pronuntiare, & condemnare Iustitiam, Baiulum, Iuratos, Concilium, & Vniuersitatū loci de Sancta Lecina conuentos, ad dandum, & soluendum Magno Magistro Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani prin. Io. Fra. Barrachina Proc. summas & quantitates tantum septem centorum sexaginta octo & dimidij cafitiorum tritici, & septem centorum sexaginta octo & dimidij cafitiorum ordei, & septem centorum sexaginta & octo, & dimidij cafitiorum de cebada, & ad soluendum eidem Magno Magistro in futurum singulis annis in die Sancti Michaelis mensis Septembris, viginti quinque cafitia tritici, viginti quinque cafitia ordei, & viginti quinque cafitia de ceuada mensurationis veteris loci de Sancta Lecina, quæ iuxta mensuram nouam eiusdem loci efficiunt viginti sex cafitia & dimidium, vniuscuiusque dictarum specierum respectiue tritici, ordei, & cebada, ex causis & rationibus in petitione contentis, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere att. cont. Ex eo præsertim fit condemnatio de qua in tenore sententiæ, quoniam producitur instrumentū publicū recognitionis, seu antipocæ concessum, a Iuratis, Concilio, & Vniuersitate loci de Sancta Lecina, die vicesimo sexto mensis Nouēbris, anni millesimi quingentesimi quinquagesimi, in quo aduerarunt & confessi sunt, quod dictū opidū de Sancta Lecina, tenetur in vnoquoque anno soluere in tributum die Sancti Michaelis mēsis Septembris, Fratri Ioanni Guaras Præceptori de Chalamera, viginti quinque cafitia tritici, viginti quinque cafitia ordei, & viginti quinque cafitia de ceuada mensuræ veteris, quæ reducta ad rationem mensuræ nouæ efficiunt viginti sex cafitia & dimidium vniuscuiusque respectiue dictarum specierum tritici, ordei, & ceuada, per tempus autem viginti nouem annorum quorum respectu cum cesauerit in solutione dicta Vniuersitas de Sancta Lecina, venit cōdemnanda pro dictis viginti nouem pensionibus in quantitatibus, seu summis sequentibus. Nimirum septem centorum sexaginta octo & dimidij cafitiorum tritici, & septem centorum sexaginta octo & dimidij cafitiorum ordei, & septem

A

rē centorum sexaginta octo & dimidij de ceuada: pariter condemnatur dictus locus de Sancta Lecina, ad dandum & soluendum futuris temporibus singulis annis eidem Magno Magistro Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani, viginti sex cafitia & dimidium tritici, & viginti sex cafitia & dimidium ordei, & viginti sex cafitia & dimidium de ceuada, ratione & causa prædicti tributi, de quo in instrumento supradicto aduerationis, & recognitionis. Nec obstat illam aduerationem, siue recognitionem inducere ius quoddam personale ad fauorem solius Ioannis Guaras, per cuius obitum fuisse finitum, & extinctum. Nam respondetur potuis fuisse factam talem aduerationem & recognitionem ad beneficium & cōmodum Præceptoriæ de Chalamera ex quo locus de Sancta Lecina est pars & membrum Comandæ, seu Præceptoriæ de Chalamera, vt ex capite & initio præfati instrumenti manifeste constat. Præsertim cum appelletur in eadem scriptura, Ioannes Guaras Præceptor de Chalamera; Accedat quod secunda pars dictæ recognitionis quatenus loquitur de obligatione eiusdem loci de Sancta Lecina, qua tenetur ad moliendum in singulis annis olibas quæ dicto Comendatori pertinerent ex loco de Estriche, continet huiusmodi verba, *Que del dicho Comendador tocaren del lugar de Estriche*, vbi qualitas Præceptoriæ de Chalamera fuit contemplata: Nec verosimile censetur, quod si illa concessio erat futura personalis ad vitam dumtaxat Ioannis Guaras obliti fuissent homines existentes in concilio exprimere eam rē, quę non leuis, sed maximi ponderis erat. Tū etiam ad totalem confirmationem supradictorum cōducit egregie, quod Comendatores, seu Præceptores Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani, sunt veri Religiosi, & quidquid acquirunt suæ Religioni acquirunt, iuxta magis receptam scribentium sententiam, quare necessario fit inde, vt illa tributi annui recognitio facta ab Vniuersitate de Sancta Lecina, non personalis, sed realis, & perpetua censenda sit, vt pote cum illud annum tributum acquisitum fuerit Religioni, concessio siquidem facta Religioni, & piæ causæ, censetur realis, & non personalis, Eo maxime cum in eo instrumento non agatur de noua concessione, sed de antecedenti, & hoc insinuat verbum illud, *adueraron* denique nullam fore habendam rationem censuimus de quibusdam assertis literis concessis, vt prætenditur à Doctore Ioanne Horruytiner vt Conseruatore Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani à dicto opido de Sancta Lecina in præsenti processu productis; quoniam non faciunt fidem, nec probationem inducunt de iuri communi, & multo minus de foro. Sto tamen quod prouationem facerent, cum lis illa ducta fuerit inter alias partes videlicet inter Gregorium de Vega conductorem fructuum Præceptoriæ de Chalamera, & prædictum locum de Sancta Lecina, fit inde vt res inter alios acta nullum præiudicium generare potuerit Magno Magistro actori in huiusmodi processu, nec Religioni prædictæ Sancti Ioannis Hierosolymitani: Non fit vero condemnatio in expensis quoniam fuit facta delatio iuramenti supletorij ipsi actori, & aliàs att. cont. *Alij vero duo ex dictis Dominis Regijs Consiliarijs fuerunt voti & opinionis, quod tenetur & debet absoluere contentis neutram partium in expensis &c.* Ex eo, & aliás quoniam non constat de aliquo titulo aut causa saltem legitima ad eosdem in petitis condemnandum, Neque obstat instrumentum recognitionis, siue antipocæ per agentes in præsenti processu exhibitum, quo cōtendunt Concilium & Vniuersitatē loci de Sancta Lecina recognouisse, & cōfessos fuisse, prædictum locum debere singulis annis pro tributo in die Sancti Michaelis mensis Septembris persoluendo Fratri Ioanni Guaras Comendatori de Chalamera viginti & quinque cafitia tritici, viginti quinq; cafitia ordei, & viginti quinque cafitia ceuadæ mensuræ veteris eiusdem loci, sicq; eo mor-

tuo

tuo ius exigendi eosdem in Magnum Magistum, siue in eius Conuentum & Religionem recto iure fuisse translatum, vt merito potuissent ob cessationem viginti nouem pensionum in hoc iuditio conueniri. Quoniam respondetur prædictum instrumentum in processu exhibitum, non esse instrumentum recognitionis & antipocæ, sed aduerationis cuiusdam tributi propter aliud emissæ, quę in iuditium ad effectum obligationis trahi non posse videtur; cum ex ea scriptura non constet factam esse principaliter propter illud, nec ad fauorem Ioannis Guaras Comendatoris illud petentis, nec alterius illud stipulantis, sed simpliciter & motu proprio dicendo: *Item adueraron, que el dicho lugar haze en cada un año de treudo a Fray Iuan Guaras*, absque aliqua alia causa obligatione, aut promissione, in futurum soluendi, & absque asignatione bonorum super quibus pensio constituta censeatur, quod proprium erat antipocæ, & recognitionis, recognoscere bona esse tributaria, & promitere in futurum soluere cum clausulis, pactis, & conditionibus, in instrumento tributationis positis, & alijs in similibus instrumentis poni consuetis, quod in prædicto instrumento nullatenus horum aliquid factum reperitur; indeq; nec instrumentum recognitionis, nec antipocæ, nec cuiuslibet alterius promissionis censeri ad effectum obligationis in iudicium deducendæ existimamus, quod si tale instrumentum consideretur, vt species tributationis, & antipocæ, iuxta votum agentium, caret subscriptionibus Iuratorum, & Iustitiæ à foro requisitis: Quod si consideretur, vt actus vniuersitatis promissorius in futurum eodem quoque morbo laborat, ergo non est instrumentum in iudicium deducibile ad effectum obtinendi: Ad hæc instrumentum præfatum sto quod legitimum esset, eo magis aparet nihil posse prædictis agentibus opitulari, quoniã ex eius lectura cõstat expresse truncatum reperiri, sequelamq; esse alterius capituli antecedentis (de quo non constat in eodem) vt minus scriptum quam dictum, & tractatum censeatur, siue per errorem Notarij illud testificantis, siue per defectum Notarij Commissarij illud extrahentis, quod facile contingere potuit. Ait enim: *Que llamado y conuocado el Concejo del lugar de Santa Lecina, &c. & de si todo el Consejo, &c.* & statim & consecutiue subdit. *Item adueraron, &c.* quæ sane verba inducunt aliud post congregationem Concilij; & ante hanc tributi aduerationem fuisse in Concilio tractatum, quod fidem instrumento multum diminuere censetur, præsertim in hoc iuditie, & ad præiudicium dictorum de Sancta Lecina, vt sic merito intentio agentium debeat reppelli. Quod etiam non modica iuris præsumptione roboratur, quoniam ab anno millesimo quingentesimo & quinquagesimo, quo dictum aduerationis instrumentum, vt dicitur testificatum extitit, vsque ad institutionem præsentis litis, non constat in processu, prædictum tributum fuisse petitum, nec solutum, nec Comendatori de Chalamera, nec Maguo Magistro, nec Religioni, & vbi ab arrendatore quodam prædictæ Comandæ vocato Gregorio de Vega, in anno millesimo sexcentesimo tertio fuissent conuenti dicti Iurati de Santa Lecina coram Conseruatore Ecclesiastico prædictæ Religionis super solutione dicti tributi fuerunt absoluti per sententiam vt ex literis narratiuis in præsenti processu deductis satis constat; Argumentum, & præsumptio satis efficax ad credendum, quod dictum instrumentum aduerationis tributi non erat exequibile, nec peti poterat, cum a prædictis agentibus qui semper bonorum, & iurium suorum, & Religionis sunt satis memores, tanto tempore nõ fuerat petitum: Cui etiam præsumptioni adiungitur, & altera ex eodem instrumento, & ex altero commissionis factæ Notario ad illud extrahendum resultanti in processu exhibitis, qua quidem eius fides multum diminuitur. Ait enim Ioannes del Berde Notarius illud instru-

ſtrumentum extrahens in ſua ſignatura, ſe illud in publicam formam extraxiſſe *de las Notas, Protocolos y Regiſtros del magnifico quondam Iuan Fajol, habitante que fue en la preſente Villa de Alcolea de Cinca que a mi me fueron encomendados deuidamente y ſegun Fuero del preſente Reyno de Aragon por ſu muerte*, abſque eo, quod dicat à quibus talis Commiſsio facta extitiſſet an à Iuratis, an à Iuſtitia, aut alio aliquo, vt ibidem videre licet. Et vt pars agens oſtenderet eiuſdem Ioannis del Berde Notarij Commiſsionem, ad dictum inſtrumentum extrahendum, fecit fidem de quodam inſtrumento nominationis Commiſſarij (non de Commiſsione notularum ad eas cuſtodiendum) factæ eidem Ioanni del Berde die vigeſimo Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi decimi noni per Iuſtitiam de Alcolea, ad ſupplicationem Dominici Soſſas Notarij Regij, ac domini ſcripturarum, ac notularum inferius contentarum, & aliorum ius extractionis alterius inſtrumenti prætendentium ab ſcripturis, & notulis quondam Dominici Barrata, & Ioannes Fajol, & ſuorum ſucceſſorum; qui quidem Ioannes del Berde Notarius dictam Commiſsionem, & nominationem acceptauit, & iurauit de bene & legaliter ſe habendo, & de ſeruando foros in extractione inſtrumentorum, & in receptione iurium eorundem: Ex quibus aparet falſo aſeruiſſe in ſignatura dictum Ioannem del Berde fuiſſe Commiſſarium dictarum notularum propter Commiſsionem ſibi factam per mortem dicti quondam Ioannis Fajol; quoniam non conſtat de tali nominatione per mortem, ſi enim per dictam mortem fuiſſent eidem Notario notulæ præfatæ cōmendatæ, abſque Commiſsione poſtea facta per dictum Iuſtitiam de Alcolea, & in proceſſu exhibita id facere potuiſſet vt notiſſimum eſt: Inde igitur manifeſte ſequitur, quod dictus Ioannes del Berde extraxit inſtrumentum aduerationis cum Commiſsione quam non habebat, & nō cum ea cum qua poterat extrahere, & habebat, & quod dictum inſtrumentum plenam facere fidem non poſsit ex prædictis: Ex quibus omnibus, & alijs ſto quod recognitio à conuentis facta vera, & legitima extitiſſet (quod multū dubitamus) adhuc ex eiſdem fides præfati inſtrumenti maxime dubitabilis redditur, vt merito contra ipſum pronuntiandum arbitremur, & aliàs att. cont.

SIG † NVM mei Philippi Martinez Scribæ Mandati ſuæ Maieſtatis, ac Ciui Ciuitatis Cæſarauguſtæ, & in eadem domiciliati, authoritateq; Regia per totam terram & dominationem Dñi noſtri Regis publici Notarij, qui huiuſmodi vota, ſiue motiua à originali libro Cameræ Regij Conſilij cauſarum Ciuilium præſentis Regni Aragonum de anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto extraxi, & cum dicto ſuo originali libro bene, & fideliter comprobaui; In quorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum meo ſolito ſino ſignaui. Conſtat de ſuprapoſito vbi legitur, caſitia, & de emendato, caſicia.